

chardo Cameracensium antistite impetrandam curaverit, et liberam tradendam Præmonstratensibus. Quod ad ipsius præcipue instantiam factum, testis idoneus (instrumentum donationis) confirmat, quem Aubertus Miræus producit. » Habetur illud instrumentum in ejusdem Chronico Cisterciensi, quod colonie Agrippinæ vulgatum est anno 1614, p. 90 et sequentibus. En tibi hoc fragmentum, quod inde huc transcripsisse sufficiat in rem nostram : « Ego itaque Burchardus, Cameracensium episcopus, petitionem religiosorum virorum, Waltmanni videlicet Antverpiensium abbatis, et Bernardi Claravallensis, approbandam æstimavi, supplicantium, ut ecclesiam de Tongerlo libertate donarem, quatenus in ea fratres Præmonstratensis ordinis, sub regula beati Augustini degentes, libere et quiete Deo famulati valeant. Quam petitionem bonam judicans, ideoque benigne exaudiens, prædictam ecclesiam B. Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ab omni exactione debitique obsoniis ad sustentandos canonicos, in ea Deo sanctæque ejus Genitricis servientes, liberam facio. Deinde... libens constituo, ut in statuendo abbate sanior pars conventus liberam potestatem obtineat; electus vero Cameracensi episcopo præsentetur, etc. Inter plures autem, qui sigillum suum subscribunt, habetur S., id est, sigillum « Bernardi Claravallensis. Acta sunt hæc Cameraci anno Dominicæ Incarnationis 1133, regnante Conrado semper augusto. » Sed Burchardus, anno 1131, obiisse legitur in nova Gallia Christiana editione tom. III, col. 27.

200. De utilitate vero, quam sanctus abbas per suam legationem, de qua nuper institutus fuit sermo, attulit communi bono Ecclesie ac principum secularium, ita loquitur Manricus n. 10. « Jam quod ad legationis fructum attinet; impetrasse Bernardum, compertum est, et, Lothario ac Conrado reconciliatis, pacem imperio firmasse per longum tempus. De his in historia Polonica, ex collectione Joannis Pistorii Nidani, anno 1582, typis Basileensibus excusa; in qua tomo II, lib. v, pag. 485, dicuntur ista ad annum 1126. In Germania et Italia Conradus Suevum cum fratre Friderico contra Lotharium cæsarem arma sumpserant, donec victi ab eo, Bernardi Claravallensis abbatis, doctrina, pietate, et sanctimonia vitæ clari opera ipsi reconciliati sunt. Atque adeo sic factum est, quemadmodum subdit Manricus, ut in causa plane consimili, nil minus regnum Bernardo Patri deberet quam sacerdotium, et ut, qui Ecclesie pontificem firmaverat, orbi non minus firmaret imperatorem. Verum illud, quod assererat modo historicus laudatus Cisterciensis, Bernardum... pacem imperio firmasse per longum tempus, non satis combino cum iis, quæ habet Pagius in Critica Baroniana ad annum 1135, n. 12. Etenim ibidem agens de principibus Imperii cum Lothario imperatore pacem jurantibus, inter alia, quæ recitat ex Chronographo Hildenseimensi ad dictum annum 1135, transcribit sequentia : « In festo sancti

Michaelis, in loco, qui dicitur Molenhusen, Conradus frater Friderici ducis imperatori reconciliatur. » Et mox hæc observat : Jam anno 1133 (ann. 1134 signat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi) Conradus cum eo in gratiam redierat; sed aliquod postea dissidium inter utrumque exortum esse oportet. Nisi forte sint intelligenda de actu minus sollemni concordie, quæ inita ab ipsis prius fuerat; illa vero, quæ in Molenhusen accidisse dicebantur, de reconciliatione, quæ in publico principum conventu firmata fuerit juramento post primam, forte etiam juratam, sed ritu minus solemni.

§ XIX. — Acta in concilio Pisano, ac Mediolani.

201. Annus Christi 1134, quem cum historico Cisterciensi hic aggredimur, magni Patris Bernardi fama cum summa venerandi nominis ejus commendatione egregie inclaruit tam e rebus ac miraculis apud Mediolanenses atque alibi in Italia peractis, quam e concilio Pisano, quod ibidem hoc anno celebratum est. Quæ omnia nobis præbent nobile de laudibus sanctissimi viri argumentum. Condixerat, inquit Manricus cap. 1, num. 1, Innocentius concilium Pisis hoc anno Christi 1134 celebrandum, cui etiam adfuturus erat, magna tunc pars Ecclesie, Bernardus Pater, ex ejusdem pontificis præcepto. Cum ecce, properantem illum adire interceperunt legati ex Mediolano, secum, si possent, sanctum reducturi, per quem pontifici reconciliarentur, per quem Lothario; hoc ultimo per electionem succedente in Henrici imperatoris defuncti locum. Conradum nihilominus Sueviæ ducem, ejusdem Henrici sororium, jure sanguinis regnum affectasse, superius dictum. (Consule annum 1125, cap. 1, num. 6.) Quin a Mediolanensibus susceptum, Modici, seu Modiciæ, vel Modoetiæ, sede regni Italiæ (ubi imperatores solebant coronam ferream accipere, sicut notat Baudrandus) ab Anselmo archiepiscopo inunctum, ac regem Romanorum acclamatum, ex ejusdem Conradi fratre Ottone Frisingensi etiam tradidimus, ut videre licet loco mox assignato. Ergo in hac fide constantes, seu pertinaces, dum Conrado adherent, Lotharium respuunt, propter Conradum Innocentium etiam adversabantur. Quippe Innocentius hæreditaria ab Honorio protectione, dein multis neque exiguis obstrictis meritis, partes Lotharii causamque promoverat.

202. « Cæterum jam Lothario coronato, et Conrado per Bernardum cum illo composito, cum nullo tenerentur juramento præstitæ fidei, et alias vellent Ecclesie reuniri, gratiam Pontificis imperatorisque, Anacleto abjurato, per eundem Bernardum auspicabantur [f. aucupabantur]. Hæc publica legationis occasio fuit : sed præter hanc specialis alia pluribus, qui sanctitatis Bernardi et discipulorum ejus fama perculti, conversique, et jam tunc seculi delicias spernentes, sancti Patris adventum si non præveniant, saltem præventi a Deo præstolabantur, ipsius se magisterio tradituri. Ex his, ni fallor, legati delecti sunt, quasi ex ipso conversionis suæ proposito

sanctum Patrem efficacius persuasuri. Et divertisset statim ad eos Pater dulcissimus, nisi Pisani concilii tempus instaret, cui, salva pontificis obedientia, abesse nequaquam posset. Respondebit tamen, inducias breves petens, se ipsum post concilium exhibiturus. Et quoniam Mediolanensis cleri præcipue opera cadem civitas, absterso primo errore, ad unitatem Ecclesie revocabatur, hanc primo ad clerum epistolam scripsit. » Hæc e Manrico. Sed, sive eadem exarata sit primo, sive non, habetur tamen primo loco, et ante duas alias in earumdem collectione.

203. Epistola autem illa, quæ in dicta collectione habetur ordine centesima trigesima secunda, sanctus Pater gratulatur clero Mediolanensi super jam dicto successu, differtque suum ad ipsos adventum, ita illam incipiens : « Benedicti vos a Domino, quorum studio et industria civitas vestra liberata est ab errore, et relicto schismate, ad catholicam rediit unitatem... Et ego, fratres, particeps et socius gaudii vestri fieri cupiens, juxta petitionem vestram ad vos cum dilectis fratribus nostris, nuntiis vestris, veniebam, de quibus mihi scripsistis plenius secundum rationem in beneplacito Dei satisfactorus. Sed quia tempus breve est, quo ad concilium (Pisanum) festinamus, non gravet vos usque ad reditum nostrum sustinere. » Atque hæc quidem ad clerum : in epistola autem 133 ad cives Mediolanenses, a quibus invitatus fuerat ad componendam pacem, scribit, lætari se, quod ad hoc negotium sua requiratur opera, ac sperare illos jubet suum reditum post concilium Pisanum. De Epistola 137 ad imperatricem Romanorum (Richeram, uti additur in margine apud Mabillonium) post idem concilium de rebus Mediolanensibus scripta, significat vir sanctus, Mediolanenses non ante receptos in gratiam a pontifice, quam ipsi Lotharium imperatorem reciperent. Hinc eos clementiæ imperatrici commendat. Sed de illa epistola dicam etiam infra. Nomina autem legatorum, de quibus paulo ante, ipse sanctus Pater exprimit in epistola 134 his verbis : « Ego, fratres, tanta lætitia provocatus, sed et vocatus a vobis per charissimos fratres Ottonem et Ambrosium, quos ad hoc ipsum direxistis, decreveram simul cum ipsis venire ad vos, » etc. Epistola porro inscribitur *Ad novitios apud Mediolanum conversos*, quibus gratulatur de conversione, sequæ, peracto concilio, illos visurum spondet.

204. Quod dicta modo hujus epistolæ inscriptio, seu titulus, in errore induxit Baronium ad annum 1134 videtur nobis probabilis : nam ubi hæc scribit n. 8 : Jam autem Mediolani plantata erat Religio Cisterciensis, et factu fecundo propagata; sed perperam id dici, contra eundem Baronium notat Manricus cap. 1, n. 7. At audiamus Mabillonium in nota breviori ad eandem epistolam, in qua hæc scribit : « Ex hoc titulo Baronius infert, jam ante Bernardi adventum Mediolanum, id est, ante annum 1134, Cisterciensium familiam eo fuisse transmis-

sam, conditumque aliquod monasterium, cui se novitii isti mancipassent. At Ughellus, in tomo IV Italiae sacræ, col. 197., existimat, primum Cisterciensium in illa urbe cœnobium esse Claramvallem, quam secundo ab urbe lapide non ante annum 1135 conditam probat : proindeque hæc in epistola novitiorum nomine intelligendos esse eos qui Bernardi opera, ad concilium Pisanum pergents, recens conversi, ejus se magisterio ex animo jam devovissent. Ughelli epocha de conditu monasterii constat ex veteri inscriptione, et ex primis loci instrumentis, in quibus constanter Caravallis, non Claravallis appellatur. Vide epistolam 281. » Sic Mabillonius. Porro hæc epistola, ad quam mittit lectorem, abbatem Brunoni de Claravalle in titulo prænotatur : ad quem ista observat : « Priores editi Claravalle : at Caravalle præferunt melioris notæ codices : quibus domestica Caravallis instrumenta suffragantur. Est autem Caravallis insignis abbatia Cisterciensium prope Mediolanum. » Nunc iterum ad Bernardum. Audisti, lector benevole, quænam fecerit abbas sanctus antequam pervenerit ad concilium Pisanum ; en tibi nunc exponimus, quanta cum veneratione ad illud sit admissus, quanta cum auctoritate interfuerit ejusdem actis, quanta cum utilitate eidem profuerit.

205. Ernaldus, lib. II Vitæ, cap. 2, hæc in rem nostram notata reliquit : « Innocentius... rursus Pisas revertitur : ibique aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque religiosi viris, magnæ gloriæ synodus celebratur. Adfuit per omnia et consilii, et judicii, et definitionibus omnibus sanctus abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, et exuebant ante ejus limina sacerdotes, non quod factus, sed multitudo communem prohiberet accessum : et, aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur vir humilis, et nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte sollicitudinis ; sed in plenitudine potestatis. » Ita Ernaldus, fidelissimus Vitæ scriptor, testisque omni exceptione major. Itaque hoc jam tertium concilium habitum est, sicut cap. 2, num. 1, observat Manricus ad hunc textum « (nec Trecense, ait, includo) in quo Bernardo per omnia deferretur ; unum ad declarandum Innocentium summum pontificem, duo sub ipso. » Laudatus biographus pergit deinde ad acta concilii, quæ summatim ita perstringit : « Actiones concilii longum est prosequi : summa tamen in excommunicatione Petri (Leonis) et in irregressibili fautorum ejus dejectione constitit, et usque hodie hæc sententia perseverat. » Plura de hoc concilio habet Pagius in Critica Baroniana ad annum 1134, ubi etiam tractat de ejusdem epocha.

206. Illud ex ipso delibare convenit ad nostrum propositum, quod ibidem refert n. 3, de Ludovico Franciæ rege, dum synodum illam cogitavit impedire. Inter Innocentium II et Ludovicum VI Francorum regem aliquod intercedebat dissidium, indeque S. Bernardus epistolam 255 ad Ludovicum regem dedit, monuitque ne concilium hoc tempore Eccle-

sia et regno tam necessarium, ipsiusque regis honori cessurum, impediret. « At calor, inquit, nimis est. » Quasi nos glacialia corpora habeamus, « inquit Bernardus... Tamen si quid ex Apostolica auctoritatis rigore processit, unde se merito esse turbatam celsitudinis vestrae serenitas arbitretur; prout oportet ad honorem vestrum, fideles vestri, qui aderunt, totis viribus enitentur. Inter quos nos quoque, si quid possimus. » Ad illud, quod de caloribus dicebat sanctus, observat Mabillonius in notis, ad illud concilium: « Rex praesules Gallicos accedere prohibebat obtentu caloris immodici. » Rebus itaque concilii peractis, sanctus Pater datam ante Mediolanensibus fidem liberavit de sua ad illos profectione. Expeditionem illam, adeo viro summo illustrem, in varia membra dividere est animus.

207. Consideremus itaque primo, quos ob fines illuc a summo pontifice missus fuerit. Pagius nuper memoratus eosdem ita exponit, n. 6: « Landulphus Junior cap. 41, apud Puricellum in Monumentis basilicae Ambrosianae num. 360, mentionem facit reconciliationis Mediolanensium cum Innocentio II, aitque: « Innocentius papa Pisis synodum celebravit, in qua Robaldo episcopo (Albeni) repraesentante, Thealdus de Landriano archiepiscopus byter ecclesiae Mediolanensis » (videtur is successor Stephani de Guandeca, qui anno superiori Anselmum archiepiscopum Mediolanensem valde vexavit, ut ibidem diximus), « Amizo de la Sala archidiaconus, Anselmus de Rhode levita [al. additur ordinarius], et alii plures ejusdem ecclesiae ordinarii, et cum primicerio Decumani sacerdote contra solitum decus Mediolani et ejus ecclesiae, Innocentio papae fidelitatem juraverunt. » Mediolanenses enim, qui hactenus antiquam libertatem retinuerant, juramentum fidelitatis a Gregorio VII decretum, quod hodie a praesulibus exigitur, decore ecclesiae suae adversari sibi persuadebant.

208. « Cremonenses vero propter hanc fidelitatem nequaquam milites Mediolanenses, quos captos habebant, demiserunt. Sed papa Innocentius depositionem et expulsionem saepe dicti Anselmi de Pusterla (ab episcopatu Mediolanensi) firmavit. Attamen praenominati, qui fidelitatem juraverant, timentes hos casus urbis et ecclesiae Mediolanensis, differrebant redire Mediolanum, nisi haberent protectorem, qui coram populo Mediolanensi confirmaret Anselmi expulsionem, et ad nihilum reduceret Canradi coronationem (anno 1128 factam) et populum tantae urbis convocaret, et confirmaret ad Lotharii imperatoris amorem, et ad ipsius Innocentii unitatem. Ad haec peragenda papa a Deo [Puricel. et al. adeo] idoneum angelum habuit, sicut Bernardus abbas Claravallensis fuit. » Hactenus citatus apud Puricellum Landulphus, cujus verbis nonnullus de suo interserit Pagius, uti ex parenthesis apparet. Caeterum Landulphi Junioris sive de sancto Paulo Historia Mediolanensis non ita pridem recusa prodiit

inter scriptores rerum Italicarum Mediolani editos tomo V, istius collectionis, ac notis illustrata est. Textum vero superius e Puricelli editione relatum cum recentissima contuli, uti videsis e variis lectionibus, ad marginem ex ea a me adjectis. In eadem etiam nova editione consuli possunt notae in cap. 41, Landulphi, quae habentur tomo praedicto a pag. 513.

209. Consideremus secundo, quinam cum Bernardo fuerint a sede apostolica Mediolanum legati, ut negotium tanti ponderis conficeretur. Illustris hujus legationis comites commemorat Ernaldus biographus lib. II, cap. 2, num. 91, post ea, quae praemisera de concilio Pisano, ita loquens: « Solutum concilio, ad reconciliandos Mediolanenses dominus papa abbatem Claravallis, quem multis supplicationibus expetierant, et Guidonem Pisanum, et Matthaeum Albanensem episcopum a latere suo direxit, qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum abluerent, et ad unitatem Ecclesiae devios revocarent. Abbas igitur cum praedictis viris, quos a domino papa collegas acceperat, addidit consortio et communi consilio virum venerabilem Gaufridum Carnotensem episcopum, cujus sinceritatem et innocentiam in multis probaverat. Et visum est cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. » Hisce addimus notitias sequentes. Gaufridus ille, appellatus de Lieves, ab anno 1116 usque 1138, Carnotensis ecclesiae regimini praefuit, ex Samarthanis in Gallia Christiana tomo II ubi pluribus laudatur. De Guidone Pisano agitur apud Ciaconium in Vitis pontificum Romanorum et cardinalium tomo I, col. 987, uti etiam col. 960, et sequentibus de Matthaeo Albanensi; ubi magnificentissimis elogiis condecoratur. Landulphus Junior cap. 42, de Bernardi ad Mediolanenses ingressu agens, hos tantum comites ei adjungit: « Praenominatus abbas iste nil moratus, cum Carnotensi episcopo, et Robaldo Albeni Mediolanum intravit; » ex notis hic, « eo videlicet, quem Anselmo deposito, Mediolanenses delegerant vicarium archiepiscopalem obeundis officiis. » Sed majoris nobis est pretii Ernaldus, quam ut vel ad latum unguem ab eo hic recedamus.

210. Consideremus tertio mirabilem viri sancti ad Mediolanenses ingressum, prodigio similem, et, si omnia simul colligas ejusdem adjuncta, rarissimo et forte nullo hujusmodi susceptionis sanctorum exemplo. Audi Ernaldum lib. II Vitae, cap. 2, num. 91, citato: « Transceno, ait, Apennino, ubi audierunt Mediolanenses abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe a civitate milliariibus septem omnis ei populus obviam: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, et distinctis agminibus incredibili reverentia virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur aspectu: felices se judicant qui frui possent auditu. Deosculantur pedes ejus universi: et licet hoc ille moleste acciperet; nulla potuit pronos et devotos ratione compe-

scere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis ejus, et ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta, quae ille tetigisset, judicantes, et se tactu eorum vel usu sanctificari. Praecedentes itaque et subsequentes laetabundis acclamationibus applaudebant abbati, et diu intra agminum spissamenta detentum, tandem solemniter reddere hospitio, » ad ecclesiam sancti Laurentii, secundum dicenda postmodum § 20 in initio. Quibus publicae venerationis, laetitiae, acclamationis significationibus adeo effusus quid in sancti laudem illustrius, quid ardentissimo Mediolanensium erga ipsum affectui convenientius fieri potuit?

211. Quid, quod praemultitudine populi ad ipsum circumfusa non pateret ingressus? Auctor Exordii magni Cisterciensis distinctione secunda, cap. 16. « Cum ergo, ait, ibi (Mediolani videlicet) sederet in quadam amplissima domo, tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi posset. » Quin etiam ibidem tanquam angelus e caelo lapsus, et homo proximus Deo fuit habitus. Nam, uti mox subdit idem auctor: « Interea quidam de civibus ejusdem urbis, vestitu et vultu honorabilis, cum Dei hominem adire omnimodis cuperet, et nusquam aditum reperiret, mediis se turbis ingressit, manibus ac pedibus reptans, et super colla sedentium gradiens, quousque ad ipsum, quem desiderabat, perveniret. Cumque apprehendisset pedes ejus, cepit eos mira devotione amplecti et deosculari. Quod videns supradictus Renaldus, qui propius assistebat, accessit, ut amoveret eum, sciens utique quia vir sanctus hujusmodi venerationibus et obsequiis nimis gravabatur. Ille vero conversus dixit ad eum: Dimitte me, obsecro, dimitte me videre et tangere hominem proximum Deo, et vere apostolicum virum. Dico enim tibi, et in fide Christiana testificor quia vidi illum inter apostolos Christi. Quod audiens monachus ille, miratus est, et cupiens plenius nosse, volebat ab eo inquirere modum visionis hujus; sed praepudore propter astantes non praesumpsit. Verumtamen magnam exstitisse revelationem ipsam certissime credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga famulum Dei. » De Renaldo, hujus rei teste, dicam infra num. 215.

212. Consideremus quarto, quam fortiter legationis suae causam pertractarit, et quam suaviter, sine procerum reluctantia ac vulgi discordia negotium sibi commissum sit exsecutus. Etenim, teste Ernaldo mox allegato, « Cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam vir Dei quam Cardinales advenerant, oblita fortitudinis suae civitas, omni ferocitate deposita, se ita abbati substravit, ut obedientiae eorum non incongrue ille posset aptari poetae versiculus:

Jussa sequi, tam velle mihi, quam posse necesse est.
Verum quae generatim laudatus iste biographus, magis sigillatim ipsemet Sanctus exprimit in epistola ad imperatricem Romanorum, Lotharii uxore,

PATROL. CLXXXV.

rem, antea indicata in hoc paragrapho num. 203. Ast hic demus ipsa Sancti verba: « Non ante sane Mediolanenses in gratiam domini papae, et Ecclesiae unitatem recepti sunt, quousque palam, Conrado refutato et abnegato, dominum nostrum Lotbarium in suum regem et dominum receperunt, et Romanorum imperatorem Augustum una cum toto orbe confessi sunt: et de injuria transacta, juxta consilium et mandatum domini papae, digne vobis sese satisfacturos esse, tacto sacrosancto Evangelio, sponderunt. » Epistolam hanc anno 1134, ab eo scriptam, quando secundo Medionalum rediit, habet Pagius ad eundem annum num. 9.

213. Consideremus quinto virum sanctissimum non poenitendo successu mores Mediolanensium in meliorem transformasse normam. Id quod hisce verbis testatur Landulphus cap. 42: « Interea princeps Conradus altiori consilio potitus, (ex quo videlicet regnum abdicavit, in gratiam cum Lothario rediit), imperatoris Lotharii vexillifer est factus, et praenominatus abbas iste (de S. Bernardo proxime egerat) Mediolanum intravit, quam civitatem nimirum, prout voluit, formavit. Ad nutum quidem hujus abbatis omnia ornamenta ecclesiastica, quae auro, et argento, palliisque in ecclesia ipsius civitatis videbantur, quasi ab ipso abbate despecta in scriniis reclusa sunt, et non solum masculi, sed etiam mulieres tonsae sunt, et cilicis et laneis vilissimis induti ad quaelibet religiosa convertuntur, aqua in vinum mutatur. » etc. At de miraculis, ibidem a viro sancto factis, postea agetur. Praeter haec ornamenta, quibus condecorabatur abbas noster, dum apud Mediolanenses legati munere fungeretur, in promptu sunt alia, quae dabimus paragrapho proximo.

§ XX. *Cathedrae Mediolanensis regimen recusat; notatio temporis; ordo Cisterciensis ibidem propagatus; de Humiliatis quam fuerit praclare meritis; beneficia in Mediolanenses collata.*

214. De rebus a sancto Mediolani praeclearissime gestis ita paulo ante a nobis dictum est, ut non pauca dicenda supersint. Consideremus itaque sexto, tanta in veneratione et in amoribus adeo fuisse legatum nostrum apostolicum apud populum Mediolanensem, ut eum sibi praesulem posceret ardentissimis omnium votis. Landulphus Junior cap. 42 hoc ita narrat: « Tandem idem populus, ut haberet abbatem illum in archiepiscopum, ad ecclesiam S. Laurentii, in qua erat hospitatus, cum hymnis et laudibus, et solito suo Kir. (de quo in notis ad hoc caput) ecurrit. Quod abbas ille non tulit: sed ait: Ego in crastinum ascendam palafredum (id est equum gradarium) meum, et, si me extra vos portaverit, non ero vobis, quod petiit, ac sic a Mediolano recessit. » Puricellus in basilicae Ambrosianae Monumentis num. 368 responsum Bernardi exponens: « Quo quidem, ait, responso sanctus abbas, Papiam ipse Ticinumque tendere tunc cupiens, nobis ad illud non obscure videtur alluisse, quod S. Ambrosio contigerat cum regimen Mediolanensis Ecclesiae sibi obla-

tum recusans, ab ipsamet etiam urbe tandem aufugit, egressusque noctis medio civitatem (sicut in eius vita Paulinus narrat) cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quae Romana dicitur, invenitur. Sed incerta haec omnino est Puricelli conjectura de allusione illa sancti Bernardi. Divini itaque hominis modestia honorificentissimam hanc dignitatem sibi oblatam recusavit consueto in aliis hujus modi in occasionibus sibi more. Factum vero illud confirmatur e biographo Ernaldo, lib. II Vitae, cap. 3, unde ista breviter ad rem praesentem delibato num. 110. « Intra Italiam civitas Januensis, et Mediolanum, metropolis Ligurum, hunc optaverunt pastorem et magistrum. » Sic ibi, inter infulas alias a viro modestissimo recusatas, de Mediolanensibus id factum asseritur.

215. Cur vero tacitus praeteream testimonium auctoris Exordii magni Cisterciensis, qui distinctione secunda cap. 16, haec ad posteros transmisit : « Domno Renaldo, cujus supra mentionem fecimus, indicante cognovimus, quod famulus Dei Bernardus, cum venisset aliquando Mediolanum pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exultatione universorum susceptus est » etc. « Ita denique sibi in ipso complacuerant, ut cum eum antea non vidissent, ingressum in urbem mox in archiepiscopum unanimi consensu raperent potius quam eligerent. Quod cum ille recusasset, parati erant omnino vim facere, nisi fuga latenter evasisset. » Quisnam autem Renaldus seu Rainaldus iste? Idem is est, « ad quem tres exstant epistolae Bernardi, lacte et melle manantes, ultra consuetum, » ut scribit Manricus ad annum 1121, cap. 5, num. 9, quae inter alias ordine sunt septuagesima secunda, septuagesima tertia et septuagesima quarta. Fuit item abbas Fusiacensis, vulgo *Fotigny*, diocesis Laudunensis, et primus quidem, ut Mabillonius in notatione ad epistolam 72 affirmat; sed negat Manricus proxime citatus. Fuit etiam fidus sancti Bernardi socius Parisiis, qui, ut superius § 10, num. 103, relatum est ex auctore Exordii magni Cisterciensis, « secretorum famuli Dei magis conscius erat. » Hinc superiori ex hoc viro relatæ narrationi fides conciliatur.

216. Ex praemissis autem nuper de sancti Patris ad urbem Mediolanensem adventu post Pisanum concilium, abunde constat oblatas ipsi ibidem loci infulas fuisse anno Christi 1134, ut mirum sit, in chronologico hujus facti calculo tam erasse hallucinatum fuisse Sigonium, dum illud illigat anno 1123. Etenim tomo II Operum ejus novissime editorum Mediolani, de regno Italiae lib. x, col. 650, sic lego ad istum annum : « Honorico Mediolanensi antistite 3 Kalend. Junii mortuo, ea dignitas ad Bernardum Claræ-Vallis abbatem ob miram sanctitatis ejus opinionem delata est. Eo vero repudiante, » etc. De Honorico nihil hic pono; consuli de eo possunt notæ ad eundem annum : Apud Panvinium in Chronico ecclesiastico eundem lapsum temporis reperio ad sæpe jam memoratum annum. Alios, sancti Bernar-

di abbatis adventum in urbem Mediolanensem perperam figentes, ad annum Christi 1119 refutat Puricellus in Monumentis Ambrosianæ basilicæ num. 331. Quia vero adeo sunt misere hallucinati, ut hic non mereantur refutationem, consuli de iis potest idem auctor. Mediolanenses itaque anno 1134, frustrati ardentissimo desiderio, quo flagrabant, promovendi ad cathedram archiepiscopalem, atque hoc pacto apud se retinendi virum sanctum, volentes tamen possidere Patrem in filiis suis, ac in Patre filios, ascetas ordinis Cisterciensis petierunt.

217. Consideremus igitur septimo, quam bene S. Bernardus fuerit meritis de Mediolanensibus ac de Ordine Cisterciensi, quando hunc apud illos propagavit. « Erat præ manibus, » prout narrat Manricus anno supra designato, cap. 2, num. 9, « seges copiosa, ut ante adventum sancti jam conversis, sed multo pluribus per ipsum vocatis, et respondentibus sine ulla cunctatione. Exstat rescriptum ejusdem sancti Patris ad Petrum tunc episcopum Papiensem, quo gloriam plurimarum conversionum hoc tempore expertarum, ad se delatam in solum Deum ostendit referendam, » secundum ea, quæ affirmat in epistola ista, ordine centesima trigesima quinta : « Si semen bonum, jactum in terram bonam, fructum attulisse videtur, ipsius est gloria, qui dedit semen serenti, fecunditatem terræ, semini incrementum. Quid in his nos capimus? Ego sane gloriam Christi alteri non dabo; multo vero scrupulosius usurpabo mihi. Profecto lex Domini convertit animas, non ego. Testimonium Domini fidele sapientiam præstat parvulus, et non ego. Laudatur de bona litteræ tornatura manus, non calamus. Fateor, ut multum tribuam mihi, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Hinc igitur intelligi perspicue potest ingens conversorum ad perfectiorem vitam multitudo. « Ergo utrorumque, » sicut pergit Manricus num. 10, devotioni satisfactorum, et pro acceptis redditurus filios pacis, ipse alias pronus dilatandæ suæ familiæ, annuit piæ et devotæ petitioni, ac loco (non) longe ab urbe designato, nativis aquis irriguo amœnoque, fabricam ei consensit superponi, monachis adsciscendis ex Clara-Valle. Cui ædificio non parum contulisse Widonem capitaneum de porta Orientali, tradit Carolus Sigonius; » quem consulere potest lector lib. XI, de regno Italiae, col. 671, novissimæ editionis Mediolanensis. Pergamus cum Manrico.

218. « Eundem locum designatum celestini lumine, inter tenebras noctis illustrante terminos domus, reperi in quodam ms. Roberti Ruscæ, nuper ex Urbe ad me, ait, transmissio beneficentia reverendi admodum Patris domini Hilarionis Reneati, abbatis sanctæ crucis in Hierusalem, quem hoc nostrum collegium Salmantinum olim alumnum, nos auditorem meruimus, et amicum. Coenobio Clarevallis nomen inditum est in memoriam alterius Clarevallis, quas ipsa voce recreandis Mediolanensibus, quandiu non dabatur frui sancto abbate. » At videtur probabilis in hac formatione ac allusione nominis Clarevallis

Manricum hallucinari, ex dictis supra § 19, num. 204, occasione epistolæ 134.

219. Consideremus octavo, quidnam sanctus Pater egerit in favore Ordinis fratrum, ut vocant, Humiliatorum, dum Mediolani versaretur. Pagius ad annum 1134, num. 14, collegit de hoc argumento sequentia : « Quo tempore Bernardus Mediolani versabatur, Tertio ordini Humiliatorum regulam dedit. Hi quidem jam ab anno 1119 juxta Tristapum Chalcum, huic Ordini initia dederant; sed ante divum Bernardum Religiosi non erant. Puricellus citatus num. 375 asserit eos vocatos fuisse Fratres de Convenio, quod et Chalcius etiam in litteras misit, additque Puricellus: *Ejusmodi ordo Fratrum de Convenio in hanc usque diem appellatur; quive in suo ipsius stemmate tutelarem gestat hunc sanctum abbatem.* Subdit Puricellus in bibliotheca basilicæ Mediolanensis asservari codicem ms. continentem Humiliatorum privilegia, cujus initio habetur: *Sanctus Bernardus venit Mediolanum, et ibi multis miraculis claruit, et monasterium construxit (Claram-Vallem nempe...).* A quo (nempe Bernardo) quidam magnates et nobiles cives Mediolani, divino Spiritu inebriati, formam vivendi in habitu religioso cum suis familiis habitando (hoc tunc illorum institutum fuit) sumpserunt. Fuit ergo sanctus Bernardus Ordinis hujus primus fundator. Unde Fratres Tertii Ordinis hujus vocantur hodie alicubi fratres sancti Bernardi. Manserunt autem sic fratres Ordinis hujus per se in habitu religioso per annos 34 priusquam concessa eis esset regula ab Ecclesia Romana. Anno autem 1199 penultimo die Maii, data fuit eis regula a Domino Papa Innocentio III. Quare sciendum, quod fratres Tertii Ordinis hujus fuerunt fundatores primi et secundi Ordinis Humiliatorum.

220. « Galvaneus Flamma cap. 255, magnæ suæ Chronicæ apud Puricellum laudatum num. 375 scribit: *Nobilis vir Guido et capitaneus portæ orientalis fuit specialis adjutor beati Bernardi in fundando monasterio de Charavalle juxta Mediolanum, de divitiis ejus anno Domini 1135... et iste Guido tertium ordinem fratrum de Convenio sancti Bernardi in porta orientali construxit in die S. Vincentii; quem Innocentius III confirmavit et ab Innocentio III dictus est Ordo Tertius. Isti fratres de Convenio fundaverunt ordinem fratrum Humiliatorum, et ipsos visitabant.* Quod idem Galvaneus, qui sæculo XIV vixit, confirmat in libro, cui titulus Manipulus florum, cap. 171, apud Puricellum ibidem; » in novissima autem istius Manipuli editione Mediolanensi, cap. 169. « Licet autem S. Bernardus et Guido fundatores sint Humiliatorum, qui ante utrumque nec regulam nec habitum religiosum habebant; hæc tamen societas jam ante inceperat, uti Puricellus probat testimonio S. Antonini part. II Chronicorum, lit. 15, cap. 23, Raphaelae Volaterrano lib. XXI, Tristano Chalco et aliis. Fallitur itaque Sigonius, qui hujus Ordinis initium cum anno 1046 illigat, ut videre est in Historia ejus de regno Italiae ad an-

num 1046. » Ex his itaque intelligimus, certam vivendi normam a S. Bernardo fuisse Medionali præscriptam dictis fratribus. Quod tametsi in rem nostram sufficiat, breviter tamen huic facto istas subjecimus notationes.

221. Galvaneus Flamma in Manipulo florum cap. 169 citato scribit illud contigisse anno 1135, cui Sancti reditum ad urbem Mediolanensem innectit. Nam scribens ad annum 1134, mox subdit : « Sequenti anno B. Bernardus rediit Mediolanum... Ordinem S. Bernardi ordinavit, qui modo dicuntur fratres de Conegio, » etc. Puricellus vero allegatus pag. 63, etiam affirmat, hoc esse factum in reditu, de quo dicebam; sed in anno differt, affirmans quidem, rem accidisse « per id tempus, quo S. Bernardus intra hunc annum (sed annum signat 1134, in indice chronologico, qui citato ejus operi præfigitur) iterato Mediolani fuit. » Verum de illo reditu nos postea agemus. Deinde auctor idem, pag. 632, non admittit, ordinem istum Tertium appellatum ex nomine Innocentii III, aliter enim, inquit, et melius alii sentiunt. Hippolytus Helyot tom. VI Historiæ Ordinum monasticorum, etc., cap. 19, tractat pluribus de Religiosis ordinis Humiliatorum, eorumque suppressione : ubi licet videre varias auctorum de ejusdem origine sententias; etymon, ut fertur, nominis; tres diversos ordinis status; de quorum primo postquam egisset laudatus scriptor, secundum incepisse affirmat anno 1134, amplexum e S. Bernardi consilio modum vivendi a priore diversum, etc. Dein tertium Ordinem subnectit sub regula S. Benedicti etc. eumque ait substituisse, donec Humiliati fuerint extincti : id vero cur, quomodo, et a quo sit factum, ibidem legi potest. Placet nunc alia a S. Bernardo collata in Mediolanenses beneficia recensere, quæ ipsemet Sanctus commemorat.

222. In epistola quippe 131, quæ innectitur apud Mabillonium anno Christi 1135, hæc eidem præfixa synopsi : « Cum Mediolanenses Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio et obedientia viderentur, eos ad retinendam constantiam incitat, recentia Romanæ Ecclesiæ erga illos beneficia memorans; » et quippe ni addamus nos etiam sua? Sancto utique suam interponente auctoritatem impetrata vel ex parte vel ex toto, ut æquum videtur credere; in epistola, inquam, illa sic memorat : « Bene vobisum facit Deus : bene vobiseum facit Romana Ecclesia. Facit ille, quod pater : facit illa, quod mater. Et revera quid vobis debuit facere, et non fecit? Si postulastis mitti vobis de curia honorabiles personas ad honorem Dei et vestrum; factum est. Si postulastis confirmari, quod unanimitas vestra de venerabilis patris vestri electione firmaverat; factum est. Si voluistis licuisse vobis quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri canones judicant, translationem episcopi scilicet in archiepiscopatum concessum est. Si rogastis erui cives vestros de vinculis Placentinorum, quod utique ego prætermittere nec volo, nec valeo; et hoc factum